Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26104
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tempore tonauit in celum et non saluauit, uagit et saluabit. Hoc totum quare dixi? Quia numquam saluat superbia, sed saluat humilitas. Dei filius in celo erat et non adorabatur, in terram descendit et adorabatur; habebat sub se solem et lunam et angelos et adorabatur. In terra nascitur homo perfectus, homo totus, ut saluaret totum orbem. Quicquid non assumpsit ex homine non saluauit; si autem assumpsit carnem et animam non assumpsit, non saluauit. Saluauit ergo quod minus est, et quod maius est non saluabit? Si enim dicunt saluauit et animam quam assumpsit, sicut anima maior est a corpore sic ipsius anime principalis sensus est; si autem sensum non saluauit animam quod minus est. Sed dicit: Propterea non assumpsit humanum sensum ne uicia humana haberet in corde, hoc est cogitationes malas. Si ergo ipse non potuit uincere quod fecit, mihi indignatur quod non possum uincere quod ipse debuit. Obliti sumus propositum nostrum; plus dixeramus quam cogitaueramus; aliud mens disposuit, aliud lingua prolapsa est. Preparemus igitur aures nostras pontifici et quicquid a nobis minus dictum est intentis auribus audiamus benedicentes dominum, cui sit honor in secula seculorum. AMEN.

Nota natiuitate ex maria uirgine

Nota istud

Incipit omelia de natiuitate domini et iohannis baptiste conceptione.

DE SOLSTICIO ET EQUINOCTIO conceptionis et natiuitatis domini nostri ihesu christi et iohannis baptiste, nescio an quisquam ausus sit archanum, fratres, ante christi natiuitatem intelligere, ut terminasse cursum horarum dierum ac noctium per quos solsticia et equinoctia cognoscere possit, cum iob glorioso in suis passionibus dictum sit et hoc inquit: dic mihi an scias cursum solis et lune, que duo utique luminaria ad constitutionem diei ac noctis instituta esse uidemus. Quod si ergo tantus uir perseuerans in suo martyrio quodammodo in his redargu-